

An tuberculorum crudorum in pulmonibus certa diagnosis? : possibilis curatio? : thesis quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi, praesentibus competitionis iudicibus, publicis competitorum disputationibus subjiciet et dilucidare conabitur, die [...] anno 1824 / A.A.L.M. Velpeau.

Contributors

Velpeau, A. 1795-1867.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Parisiis : Ex typis Didot junioris, 1824.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kbx5rth2>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

19.

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSI REGIS OPTIMI ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI

INSTITUTA ANNO 1823.

~~~~~

AN TUBERCULORUM CRUDORUM

IN PULMONIBUS { CERTA DIAGNOSIS ?  
                              { POSSIBILIS CURATIO ?

## THESIS

*quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate medicâ parisiensi, præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputationibus subjiciet et dilucidare conabitur die*  
*anno 1824,*

A. A. L. M. VELPEAU.

---

*O quantum difficile cognoscere morbos !*

BAGLIVI.

---

PARISIIS,  
EX TYPIS DIDOT JUNIORIS,

Typographi Facultatis medicæ parisinæ.

1824.

# JUDICES CONCURSUS PRO AGGREGATIONE.

~~~~~  
Præses, D. ESQUIROL.

Judices, D. D. { LANDRÉ-BEAUVAIS.
RÉCAMIER.
BERTIN.
FIZEAU.
CAYOL.
ROYER-COLLARD.
JADIOUX.
ALIN.

Vices-gerentes, D. D. { KERGADEDEC.
PARENT DU CHATELET.

COMPETITORES.

D. D. DELONDRE.

ROCHOUX.

GÉRARDIN.

DE CHAMPESME.

CRUVEILHIER.

PIORRY.

LEGRAS.

BAILLY.

RAMON.

MIQUEL.

DESTOUET.

MARTIN-SOLON.

D. D. DUPAU.

DUGÈS.

ANDRAL.

GIBERT.

TUFFIER.

BAYLE.

VELPEAU.

MESLIER.

LÉGER (VICTOR).

LÉGER (THÉODORE).

BOUILLAUD.

PROFESSORI BOUGON

OBSEQUII PIGNUS.

DOMINO BRETONNEAU,

ÆTERNÆ GRATITUDINIS

TESTIMONIUM DICAT

AUCTOR VELPEAU.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

<https://archive.org/details/b22414071>

AN TUBERCULORUM CRUDORUM

IN PULMONIBUS { CERTA DIAGNOSIS ?
POSSIBILIS CURATIO ?

INTER difficiles quæ à medicis proponuntur quæstiones, nulla obscurior magisque intricata mihi videtur, quàm ea quæ sorte mihi resolvenda venit; nulla quoque ad tam inultorum hominum salutem magis pertinet. Si autem hodiernam usque ad diem resolvi non potuit, studium, ardor, tentamina laboresque non defuerunt. Omnium temporum et locorum omnes et singuli medici sibi eam sæpè proposuerunt. Cur insoluta remansit? Tanti momenti problema essetne forsàn insolubile? Quod cùm mihi sorte tentaandum obveniret, rem non sine reluctance aggredior.

Ut justè perpendantur alicujus morbi signa, diagnosisque certa fiat; ut æquè librentur quæ facienda sunt ad curationem, illius sedes primò inquirenda, et, quantum fieri potest, ejus natura dignoscenda. Nunquàm aliam investigationis viam sequi licet, nisi cum agitur de morbis qui nullam in organis visibilem læsionem reliquerunt. Hæc propositio probationibus hodiè non indiget, cùm anatomix pathologicæ saluberrimi fructus eam à triginta circiter annis satis superque demonstraverint. Itaque, etsi de tuberculorum crudorum in pulmonibus diagnosi et curatione tantùm dicere teneam, de tuberculis ipsis disserendum putavi. Omnia igitur quæ dicenda habeo, tribus capitibus vel sectionibus complectar : scilicet, 1.^o de pulmonum tuberculis; 2.^o de signis quæ, durante vitâ, eorum existentiam indicare possunt; 3.^o de curationis methodo.

CAPUT PRIMUM.

De pulmonum tuberculis.

Quamquam omnium temporum medici agnoverunt *tubercula*, phthiseos vel pulmonum consumptionis maximè vulgarem esse causam, nonnisi à quinquaginta ferè annis certa est hujus vocis acceptio: potius si à *Bayli* tantùm tempore dicerem. Licet enim *Morto*, *Sydenhamusque* melius de his disseruerint quàm qui ante eos vixerunt, etsi *Stark*, *Ried*, *D. Baumes* et *D. Portal* ea sat accuratè descripserint, semper verum est *tuberculorum*, ut phthiseos causa sunt, malè certam fuisse acceptionem, ante docti et diligentis labores, quem modò nominavi, auctoris. Sic *Hippocrates* ejusque coævi, *Galenus* et auctores ejusdem ætatis, *Alexander Trallius*, *Celsus*, *Aræteus* ipse *Ferneliusque*, omnes denique auctores usque ad *Mortonem*, *tubercula* in pulmonibus, sicut et in aliis corporis partibus, dixerunt tumores inæquales, extantiæ, projecturæ quædam, corpora quæcumque varia magnitudine, formâ et duritie: hâcque voce non specialiter designaverunt eandem ac nos productionem. *Morto* primus de hoc morbo aliquid clariùs edidit. Sequentium temporum medici idem ac ipse scripserunt usque ad *Starkum*, qui primam tuberculosæ phthiseos accuratam descriptionem anatomicam fecit. A tempore hujus auctoris usque ad *Baylum*, nihil notatu dignum hâc de quæstione dictum aut factum est. Indè sequitur priscos auctores mihi minimo auxilio futuros, perpaucisque inter recentes me usurum esse. In hâc primâ mei operis parte præsertim, nonnisi ad purissimos fontes confugiam; iis duntaxat utar materiis quæ coadunatæ fuerunt ab hominibus anatomix pathologicæ deditis, qui multa didicerunt, quibusque mentem sagacem et perspicacem natura largita est. Dicenda hauriam ferè semper ex operibus *Bayli* et *P. Laennec*, sæpè ex *D. Broussais*, aliquoties ex *D. Portal*, *Baumes* libris. Res quam tractandam assumo nova est et gravissimâ

momenti. Crudelis morbus de quo hîc agitur, in Angliâ magnâ ex 11,000000 incolis quotannis ferè 55,000 absumit, sicut numeravit *Wolcombe*. Cùm hoc malum tam grave sit, cùm tantum inter homines injiciat terrorem, spero fore ut docti, quos modò dixi, auctores, me non inculpaverint, si eorum sententias impugnavero. Adeò non sum mihi met ipsi fidens, ut meliùs quàm ipsi me dicturum aut facturum existimem; quàm exiguæ et debiles sint mei ingenii vires, meliùs quàm quilibet alius sentio; at ipsi non ignorant præstantissimos viros rectè semper non judicare; haud nesciunt præceptores aliquandò ex discipulis aliquid discere, illorumque nonnunquàm ab illis detegi errores. Cum ab his dissidam, probabile videbitur me, non autem eos, errare; quanto enim ab his distem intervallo, optimè mihi notum est. Dicam nihilominùs candidè quæ vera mihi videbuntur, vocique meæ conscientiæ parebo. *Amicus Plato, sed magis amica veritas*. Prænotare debeo mihi non esse in animo tractare de omnibus quæ pertinent ad tubercula; dicam tantùm ea quæ mihi maximè videntur necessaria ad respondendum duabus quæ mihi proponuntur quæstionibus. Itaque disseram de quibusdam eorum causis, de naturâ et de parte corporis in quâ nascuntur. Non sine magnâ voluptate annoto operum utilium tribus his de quæstionibus auctores esse Gallos, et quidem nobis coævus.

Frustrâ enim apud extraneos aliquid certi hâc de re quæreremus. Germani de hoc morbo, sicut de multis aliis, nihil nisi vaga et incerta disserant. Pauperior est adhuc ingeniosa Italia, systematicis ideis se nimium tradens, anatomicas prætereà investigationes negligens. Angli ipsi, superbi illi æmulatores, qui se nobis præstare semper contendunt, quique nunquàm vel pares nobis esse potuerunt, ne duas quidem ideas inter se cohærentes hâc de quæstione ediderunt. Omnes hi populi constiterunt eodem in loco in quem *Stark* et *Reid* eos duxerant. Nostros labores planè ignorant; quinimò videtur nostra opera ab his non fuisse intellecta.

*Tuberculorum in pulmonibus definitio, causæ præsuppositæ,
eorumque divisio.*

Cùm medici definirent morbos eorum symptomatibus, haud maximi momenti erat definitio. Hodiernis autem temporibus, cùm aliam viam docti sequantur, cùmque ex organorum læsionibus ad definiendum proficiscantur nosographiarum scriptores, vix satis intelligitur quanta diligentia adhibenda sit in rectè definiendo. Undè fit enim eodem nomine tam varios designari morbos, nisi quia parùm accuratè morbi definiti sunt? Quot dissensiones humanitati infaustæ, doctrinæque parùm decoris afferentes, evanescerent, si eodem vocabulo eadem res ab omnibus designaretur et intelligeretur! Cur igitur *Looeki* et *Condillaci* præceptorum tam sæpè obliviscimur? Hæc mihi causa esse videtur in rebus quæ ad artem medicam pertinent: vulgò medici habent ut facillimam cognitionem læsionum organicarum in cadaveribus; me autem iudice, nulla medicinæ pars difficilior videtur, majoremque et patientiam, et circumspectionem, et scientiam postulat. Inficiari non potest, verbi gratiâ, medicum qui attentè non inquisivit positionem, formam, sructuram omnium corporis humani telarum, sive singulariter, sive collectivè sumptis; qui ignorat quomodò contexantur earum fibrillæ, quem fugiunt varietates quas aliquandò nobis offerunt, minimè posse innumeras læsiones dignoscere quæ in cadaveribus reperiuntur. A plerisque autem quærere mihi liceat an nihil ex hâc parte ipsis exoptandum remaneat? At malunt, ut vulpes, fastidire scientiam quâ carent, eamque inutilem esse contendere. Quod infaustius est, pigritiæ sic favendo, alios ad suam sententiam adducunt, juvenesque facillimè avertunt à studio spinis consperso, et per se minimè amæno. Nihilominùs quotidie videmus observationes anatomiae pathologicae colligi ab iis qui sæpè nervos ab arteriis secernere non valent. Ad id eos impellit quod in nosocomiis præcipuæ regni urbis viderunt; in plerisque enim alumni soli huic operi incumbunt. Haud ignoro multos hujus artis tam peritos

esse quàm professores, sed quot alii! Hæ annotationes ad rem non pertinent, inquiet forsàn aliquis; sed attentè rem consideret, et dicat me non vera asserere. Cæterùm nemini nocere cupio; causam tantùm indicare volo confusionis quæ regnat in quorundam medicorum animo de tuberculis, et ut statim ad eorum descriptionem transeo, secundùm recentiores tantùm auctores, cùm ante *Baylum* omnes ea, vel imperfectè, vel parùm accuratè describerint.

Pulmonum tubercula vocantur corpuscula quædam granis similia, vulgò rotunda, nonnunquàm ex utrâque parte complanata, aliquoties oblonga, quæ sæpè numerosa in pulmonibus reperiuntur. Hæ granulationes non absimiles spiculæ apicis, vel milii grano, aut parvo ciceri, quoad magnitudinem; si majores inveniantur, vel diversæ sunt naturæ, vel multis aliis constant quæ in unam coiverunt. Quarum durities non eadem est variis earum existentiae temporibus: paulò postquàm enatæ sunt, firmæ, duræ, ac contritu difficiles reperiuntur. *Baylus* eas cartilaginibus similes esse dicebat; sed specie tantùm vera est hæc comparatio; ex omnibus ferè partibus ab his differunt. Primùm quidem, ut optimè dixit *P. Laennec*, quia nunquàm ossificantur, dein quia in his nec fibræ nec ulla organisationis vestigia inveniantur, etc. Sequentibus temporibus, tubercula sensim remollescunt, et in materiem purulentam convertuntur plus minùsve fluidam. In priori casu, phthisim incipientem, vel in primo gradu, efformant; in posteriori autem, phthisim jàm confirmatam, vel in secundo gradu, efficiunt. In principiis, subalbido et subcæruleo sunt colore: cùm verò remollescere incipiunt, magis opaca fiunt, eoque magis subflava, quò propiùs accedunt ad perfectam mollitiem. Si inciduntur, unius ejusdemque naturæ est eorum substantia, et semilucida in primo gradu. Externâ membranâ, id est cystide, carent; cum pulmonum telâ sine ullo intermedio corpore junguntur, et ab eâ haud faciliè divelluntur; quæ causa est cur eorum externa facies inæqualis sit et áspera. Remollescentia et deindè suppuratio harum productionum videntur effectus naturales. Quæ transformatio variis

temporum intervallis efficitur. Per sequentes degenerationis gradus quoad duritiem transeunt : primò cartilaginosa est eorum consistentia ; dein similia videntur corpusculis quæ præ carpo nonnunquam reperiuntur , vel caseo subduro , vel castaneis concoctis. Postea albumen concretum imitantur ; tandemque ad fluiditatem purulentumque statum perveniunt. Cùm incipiunt albumini concreto paria esse , crudorum tuberculorum nomine non ampliùs designantur , sed suppurantia nuncupantur. Sic autem gradatim remollescunt , ut , primùm in medio tuberculo , conspiciatur punctum quoddam subflavum , circa quod alia brevè nascuntur ex primo orta , ità ut brevi tempore in unum coeant. Sic externa puncta internis succedunt , et tuberculum ipsum videtur contentum in sacculo quodam , vel kysto. Nunc autem examinanda venit hujus sacculi efformatio. Estne membrana tuberculum à primis temporibus involvens ? Annon potiùs est accidentalis tunica quamdam similitudinem habens cum illà quæ efformatur circa corpus externum in varias telas nostras introductum ? An tandem pulmonum ipsa substantia non potuisset in kysti formam extendi , dùm inter ejus lamellas crescit corpus alterius generis ? Tubercula semper ejusdem sunt naturæ , in quâcumque telâ enascantur : ea sola ad phthisim pulmonariam specialiter pertinent.

Hæc vox *phthisis* excludi deberet è medico sermone , vel idem significare ac *consumptio* , *tabes* , sicut priscis temporibus. Obscuritatem enim gignit , cùm hoc eodem vocabulo innumera mala designentur. In *Mortonis* phthisiologiâ , v. g. , aut in operibus à *Sauvages* et *D. Portal* editis , res valdè diversas et heterogeneas significat. Non feliciùs eâ voce usus est *D. Baumes*. Apud eum enim nomen *phthisis* generatim sumptum nihil certi indicat ; nomen adjectivum solùm habet sensum determinatum. Infelicior fuit adhuc *Baylus* ; quatuor enim ultima ejus distributionis genera non magis phthises nuncupari possunt quàm quæ à *Mortone* dicta sunt melancolica , hystERICA , scorbutica , icterica , etc. Duæ primæ nihil aliud sunt quàm duo ejusdem morbi gradus , ut probavit *P. Laennec* , cujus monitis si parerent medici , plerasque has vitarent difficultates. Sentio tamen

potius esse dicere *pulmonaria tubercula*. Sic enim animi in hujus generis productiones intenderentur; eorum assidua indagatio multum luminis afferret ad explanandam rem de quâ hîc agitur.

Primò tubercula de quibus modò mentionem feci, à multis aliis essent secernenda quibuscum immeritò promiscuè habentur. Hoc modo siccaretur fons multarum dissensionum quæ sine hâc cautelâ forsàn æternæ futuræ sunt. Dici potest hæc tubercula in pulmonibus specialiter enasci, et indè posse tabe universali cætera organa inficere. Non probatum est ea in cæteris partibus nata indè respirationis organum infecisse. Quod creditum est, quia ab omnibus ferè promiscuè habentur cum aliis tuberculis non ejusdem naturæ, et à quibus discerni debent.

Quæ ultima inveniuntur ubicumque sunt lymphatici ductus, et præcipuè in gangliis hoc nomine dictis. Efformari possunt simul cum primis et in iisdem organis; indè confusio vitatu non semper facilis. Hæc est eorum natura: maxima fieri possunt, quod primis nunquàm contingit; sacculo vel kysto ferè sèmpè muniuntur. Numquàm dura sunt; aliquandò ferè ejusdem firmitatis ac gruyereus caseus observantur: nunquàm sunt translucida. Tam sæpè ab extrinseco quàm ab intrinseco remollescunt: aliquoties universa eorum substantia eodem tempore liquescit. Rarò frequentia in pulmonibus existunt. Si in hoc organo, etiam in bronchicis gangliis ferè sèmpè reperiuntur: quod non fit, si granulata sint; hæc enim tubercula quæ innumera esse possunt in pulmonum telâ, et penitùs abesse à gangliis lymphaticis ad bronchiarum radicem positis. Quæ in ægris scrofulis laborantibus nascuntur, ejusdem sunt generis; quod genus tubercula kystis munita *Bayli* complectitur, et etiam ea quæ inveniuntur in ægris tabe mesentericâ infectis. Nascuntur præcipuè apud homines phlegmasiâ mucosâ aut cutaneâ laborantes, aut apud quos pus efficitur. Hæc duo sunt tuberculorum genera magis distincta: probabile est ea in varias species dividi posse; in quâ divisione animum intendere operæ pretium esset.

An verum est, ut sentit P. *Laennec*, miliaria et granulata *Bayli*

tubercula ejusdem esse naturæ? Viri magni nominis, et inter cæteros D. *Guersent*, contrarium existimant. Hæc quæstio non facilis videtur. Miliaria enim semper opaca et dura sunt; granulata verò frequenter translucida, et digitis contritu facilia; in eodem organo ferè semper observantur et dura et mollia, et translucida et opaca: priora verò omnia ejusdem sunt firmitatis. Estne verisimile ea omnia eodem tempore esse nata, et easdem mutationes esse simul passura?

In secundo genere, numerosiores forsàn sunt species. Tubercula, v. g., quæ in serosis, suntne ejusdem naturæ ac ea quæ in mucosis telis existunt? An non potius canceres aut strumosa tubercula appellanda sunt ea quæ in cerebrosa sunt substantiâ? Quæ reperiuntur circa ulcera intestinorum, in cancerosis tumoribus, vel circa ea, an promiscuè haberi debent cum lymphaticis gangliis? nullane inter hæc ultima distinctio fieri debet? Strumorum tubercula suntne eadem ac ea quæ superveniunt post testium aut mammæ cancerosæ ablationem? Multum abest, me judice, ut omnes hæc quæstiones solutæ sint.

Nihil dicam de eiementis, salibus calceon basin habentibus, et aliis; nihil de albumine vel aliis animalibus principiis quæ tuberculorum naturam chymicam constituunt; ad id longiores explicationes essent necessariae. Prætereà chymicorum labores usque ad hodiernam diem nullum fructum produxerunt quo feliciter uti possim.

Quænam sunt tuberculorum causæ?

Ruisch et *Raulin* dicebant tubercula esse polyposas concrectiones in ultimis bronchiarum divisionibus natas: *Fernel* et *Jeannet des Longrois* contendebant ea esse viscosam lympham quæ pulmones obducit et impedit. Quidam alii auctores arbitrabantur eorum causas esse pulverem vel alia externa corpuscula in bronchias introducta. Quas omnes et similes sententias refellere supervacaneum esset. Tempus judex earum fuit. Quæstio autem majoris momenti est hæc; tubercula suntne semper nativitate anteriora? Plures medici id plerumquè fieri existimant. Attamen D. *Breschet* nulla unquam invenit in multis infantium cadaveribus eo consilio incisis. P. *Orfila* mihi dixit quædam à se inventa fuisse D. *West* nonnulla etiam reperiit. Sæpè ego

ipse ea quæsi , sive cùm in turonensi versarer nosocomio , sive in parisiensibus amphitheatris ; sed frustrà usque ad hodiernam diem. Admissâ autem eorum existentîâ in quibusdam casibus , quid inde concludendum ? Nihil nisi id admodum rarum esse , et ea formari plerumquè post nativitatem : non verum est , meâ sententiâ , hunc morbum jam formatum à parentibus ad liberos transmitti ; fateor quidem hos posse nasci cum quâdam ad tubercula prædispositione , quæ tamen non est absolutè necessaria conditio : in Antillis enim , in Nigritiâ , et in aliis regionibus sole exustis , non noscitur phthisis : attamen homines vel animalia quæ has regiones deserunt ut Europam incolant , ferè semper hâc tabe occidunt.

Minimè contemnenda est hujus morbi contagionis opinio , ut hodiè fit. Si facile sit refellere facta quibus nitebantur ad id affirmandum *Valsalva*, *Morgagni*, et plures alii prisci auctores , certum est quoque contrariam sententiam non probari factis à *D. Baumes*, *D. Portal*, *D. Maygrier*, et à plerisque recentibus , relatis. Frequentiores existimantur contagiones in regionibus ad meridiem quàm ad septentriones positis : in Europâ , v. g. , ea est Italorum præsertim et Hispanorum opinio. Quamvis præjudicatis opinionibus , non autem factis attentè consideratis sæpiùs nitantur hi populi , ut tam sedulò à contagionibus se tutos præstent , inficiari tamen non potest hanc opinionem multis factis firmari. Præterea cur vera non esset ? Duo conjuges , v. g. , unâ dormiunt in eodem cubili ; eorum corpora sæpè sunt contigua ; alter alterius *excreta* absorbere potest ; spiritus ab uno exhaustus in alterius os infundi potest. An non probabile est hunc spiritum reverti onustum pestiferâ et forsân contagiosâ tabe ? Indè tamen non concludo tuberculosum morbum esse contagiosum ; nihil affirmo , nisi contrariam sententiam non esse probatam.

Generaliter dictum est phthiseos tuberculosæ causam esse lymphaticæ systematis alterationem quamcumque. Mihi videtur probandum antea fuisse hanc læsionem nunquam visam esse nisi in locis ubi conspiciuntur vasa lymphatica , et deindè tubercula frequentiora et numerosiora nasci in organis hujus naturæ vasis abundantibus , quàm

in illis ubi anatomici nulla aut perpauca detexerunt ; atqui in cerebro , in liene , in pulmonibus , vasa de quibus loquor minùs sunt frequentia quàm in ventriculo , v. g. , vel in utero , vel in vesicâ. Attamen innumera hæc corpuscula in liene nonnunquàm reperiuntur. Nemo inficiabit infinita ferè in pulmonibus aliquandò existere ; hisque ego ipse vidi ea in durâ matre et arachnoïde tam numerosa , ut impossibile esset aliquod punctum harum membranarum reperire quod ab iis esset immune.

Fiat indè conclusio.

Sed adversæ sententiæ fautores dicunt : Quamquam anatomicæ investigationes hæc vasa in quibusdam organis non demonstrant , indè non potest concludi ea non existere. At saltem hæc tubercula numerosiora et frequentiora esse deberent in iis partibus ubi hæc frequentiora et numerosiora demonstrantur. Prætereâ assertio eorum est gratuita. Non autem hypothesibus , sed factis debent inniti medicorum ratiocinia. Facilè intelligitur D. *Baumes* his vagis sermonibus usum fuisse ; res enim ex altiore loco Montis Pessulani doctores despicunt. Sed miror D. *Broussais* indè profectum ad suam doctrinam ædificandam. Cùm ipse nō nisi certa requirat , firmiorem basim quærere debuisset.

Tubercula non sunt terminatio inflammationis vasorum alborum aut rubrorum , aut organi cujusdam aliarum telarum. Inflammationis nomen quolibet sensu accipiam ; *irrationum doctrina* semper debellari poterit. In hoc , sicut in multis aliis punctis , et omni parte impugnari potest ; unde quaquè ipsa ad se infirmendam arma ministrat , ut deinceps ostendam. Primò quidem , etsi rarò in infantibus tubercula inveniantur , nihilominùs ea in eorum pulmonibus aliquandò reperta fuisse comprobatum est. In testimonium adducam et professorum *Chaussier*, *Orfila*, D. *West*, etc., observationes in homine , et D. *Dupuy*, in animalibus. Quid autem dicendum de homine qui alterationem quamdam negaret , quia ipse eam non vidit , aut quia cùm ejus opinione non congruit ? Quicumque factis tantùm , non autem vanis verbis convinci potest , difficilè credet pulmones miserorum

infantium jam in matris utero chronicâ inflammatione laboravisse ; quæ enim ratio tam miræ assertionis afferri potest ? Si nulla dici potest , respondent impossibile esse rem alio modo explicare ; tunc ad falsas analogias miseraque subterfugia confugient. Si id explicare non vales , miserum sanè ! At ignorantiam tuam , sicut cæteri , fatearis. Sic æmulationem coævorum , et præcipuè tuorum discipulorum excitabis ; at contrà qui verba magistri credunt , nihil tentare valent. Deindè post nativitatem ; is stultè systemati cuidam adhæret , qui pertinaciter negat inflammationem effectum , non verò causam esse tuberculorum , vel cum iis tantùm existere. Casus , in quibus numerosa et magna tubercula in sanis pulmonibus inventa sunt , deberent convincere omnes homines qui sarcasmis non ducuntur. Atqui hi casus , etsi non vulgares , non tamen admodùm sunt rari. Observati sunt à Baylo , D. *Guersent* et ab aliis medicis qui plura inciderunt cadavera. Anno 1818 , mortua est in turonensi nosocomio mulier quædam 60 annos nata. Dùm viveret , conquerebatur vagum in pectore dolorem ; parùm tussiebat aut spuebat : affirmabat se nunquàm gravedinem passam fuisse. Libera videbatur respiratio. Supervenerunt febris , palpitationes , diarrhæa et alia symptomata , propter quæ creditum est morbi sedem esse abdominis viscera. Post mortem , incisum corpus veram fuisse diagnosim comprobavit. Cùm in investigando , ad thoracis cavitatem pervenimus , ambo pulmones inventi sunt nullo-
modò adhærentes , pulcherrimo cinereo colore ; extrinsecùs optimè crepitabant , tractatuque erant facillimi in his partibus quæ immunes erant tumoribus magnis et innumeris in eorum substantiâ enatis. Quamquam hæc tubercula ferè totos pulmones invaserant , animadvertimus tamen partes , quibus morbus pepercerat , esse sanissimas , spongiosas , crepitantes , nec vel minimum quidem hepatisationis vestigium in se ferentes. In prædicto nosocomio centum et amplius phthisicos incidi , inspiciente doctore *Bretonneau* , clarissimo viro , qui veritatem placidè indagat , qui verbis aut speciebus decipi non potest , nullumque systema defendendum suscepit : sæpè in pulmonibus partim sanis tubercula reperimus ; nunquàm autem

tam notatu digna ac ea quæ super memoravi. Difficile esset D. *Broussais* probare phlegmasiam extitisse in his pulmonibus ante formationem tuberculorum quibus erant infarcti ; nisi fortè dicat , ut sæpè , ejus vestigia evanuisse ; at cur ipsa tubercula non etiam evanuisent ? Si autem concedatur hanc degenerationem semel extitisse sine inflammatione præviâ , idem fieri posse sæpè sæpiùs concedendum est.

Si inflammatio tuberculorum in pulmonibus esset causa , numerus eorum crescere deberet pro diuturnitate hujus phlegmasiæ. Atqui res ità se non habet ; ergo aliundè eorum quærenda est causa. Soli *physiologicæ doctrinæ* fautores hujus propositionis veritatem negare possunt. At sibi ipse , ut sæpè , contradicit D. *Broussais* , probatque quod modò negaverat. Nunc enim dicit omnem pulmonum irritationem quæ ultra vigesimum diem æstuat tubercula creare posse (*Phleg. chron.* , t. 1 , p. 488 , 1.^a ed.) ; nunc autem in 3^a observ. loquitur de catarrho sat gravi , cujus exitus est mors , post quatuor menses cum dimidio : attamen in ægri pulmone dextro , in quo erat hepatisatio , nulla tubercula reperiiebantur. Prætereà , *Tiberge* , de quo fit mentio in 7^a obs. , moritur , postquàm per unum annum et ampliùs tussi et gravissimo catarrho laboravit ; dexter pulmo ingurgitatus et destructus est , laceratusque in parte posteriori ; *at deerant tubercula*. Dicit etiam nunquàm abscessum existere in pulmonibus , quin post breve tempus nascantur tubercula. Si mihi liceret hîc narrare quod ipse notavi , facilè probarem illum errare ; sed hoc inutile , cùm ipse id probet. *Monroy* (obs. 57^a) globulum plumbeum in pectore accipit ; laborat dolore in thorace , tussi , purulentâ expectoratione ; et postquàm ægrotavit per septem annos , moritur. Globulus plumbeus invenitur ad radicem sinistri pulmonis qui hepatisatus est. Septem vel octo abscessus continet , *sed ne unum quidem tuberculum*. *Auboin* (30^a obs.) succumbit pleuritidi chronicâ , quæ quinque menses sæviit. Diffusio pulmonem repulit usque ad superiorem partem thoracis ; in eo inveniuntur duo maximi abscessus qui in pleuram sese effundunt per fistulosam aperturam ; attamen

men *nulla in eo sunt tubercula*. Quomodo potest ut indubitatum habere numerosas granulationes quas invenit in pulmonibus hominis de quo fit mentio in 37^a obs., et innumera tubercula miliaria illius de quo loquitur in 40^a, quorum morbi per sex tantum hebdomades duraverunt, pendere ex eadem causâ quæ alibi ea producere non potuit per septem annos, unum annum, aut sex menses, etc.? Cæterum, ut uno intuitu omnia ejus argumenta conspiciamus, legenda 57^a observatio. Dexter pulmo ad rubram indurationem transiit, post duos ægritudinis menses; miliaris tuberculis est refertus. Atqui D. *Broussais* in eodem libro contendit tubercula non nasci, cum irritatio tam gravis est, ut indurationem rubram gignat. In sinistro pulmone, multa sunt tubercula, sed pauciora quam in dextro; *at omnes ejus partes crepitant*.

Cum theoriæ cujusdam fundamenta tam exilia sunt, non diuturna esse potest; brevi tempore funditus ruit. Si hodie dum vigeat, ne superbiat; ejus enim successus adversariorum imbecillitati debentur.

Tubercula accidentales sunt productiones nullis aliis similes in nostris telis, quarum natura, quæ est *sui generis*, nos planè fugit, quæ in organis nostris nascuntur, ubi instar corporum externorum se habent. Irritatio non magis explicat eorum efformationem quam aliorum corporum heterogeneorum quæ in animalibus viventibus nascuntur. An inflammatio vermes gignit? v. g., an potius vermes inflammatio? An cutis corneolæ excrescentiæ, verrucæ lupiæque omnis generis ab inflammatione oriuntur? Et animalcula omnis generis, hydatidesque originem habentne inflammationem?

Quanquam tubercula nascantur et crescant entozoariorum instar in animantium corporibus, non inde concludendum cum D. *Baron*, ea esse hydatides. Quæ sententia refellitur innumeris argumentis negativis, nullâque probatione affirmativâ nititur. In pulmonibus hæc corpora sunt ut totidem spinæ quæ inflammationem perpetuò pariunt, sine quâ miliaria et granulata difficilè remollescunt.

Fatendum est tamen quædam ganglia lymphatica succedere vulgò

suppuratione cujuscumque generis, vel mucosæ telæ inflammationi cum aut sine ulceratione connexæ. Pertussis, v. g., et morbilli sæpè comites habent inflammationem et tuberculosam transformationem bronchiorum gangliorum, quod sæpè notavimus, Turone, in duabus pertussium et morbillorum epidemiis quæ annis 1819 vere et æstate sævierunt. Nihil dico de pueris in privatis ædibus versantibus. At ex 100 pueris parentibus orbatis, à 5 ad 15 annos natis, qui laborant et vitam degunt in nosocomio, 90 morbillis correpti sunt. 12 ante 15^{am} diem obierunt. Apud plerosque, bronchiarum glandula plus minùsve erant inflatæ; apud duos tantùm qui antequàm exanthemate corriperebantur, jam ut phthisici habebantur. Invenimus granulata tubercula in pulmonibus, nonnulla etiam in bronchicis glandibus. Apud quinque alios, qui intra quatuor subsequentes menses interierunt, eadem tuberculosa ganglia, cum pulmonum alteratione plus minùsve notabili, reperta sunt. Apud unum tantùm in ipso parenchymate erant; at in eo ipso nulla ad bronchiarum radicem detegi poterant. In morbis qui vulgò dicuntur febres adynamicæ, ataxicæ etc., mesenterica ganglia semper tumida reperiuntur, nonnunquàm etiam mirum in modum. Si hic morbus, qui exanthematica est febris sui generis, tam ab aliis distincta læsionibus mucosæ membranæ quàm febris variolosa ab aliis cutaneis inflammationibus, mortem habeat exitialem exitum, et incidantur cadavera, reperire est in acutâ periodo hæc ganglia rubra tantùm et remollita esse, at sine pure et caseosâ substantiâ quæ tubercula mentiri possit. In chronico autem statu, id est, cùm æger post diuturnos dolores obiit, minora observantur ganglia, plerumquè verò referta materie quâdam subalbidâ et subflavâ, aliquandò purulentâ, sæpiùs caseosâ, quasi tuberculosâ, in unum majus minusve spatium collectâ, ita ut qui operam præcipuam non dederunt huic doctrinæ parti, hæc corpuscula promiscuè habeant cum scrofulosorum tuberculis, et cum illis quæ tabem mesentericam efformant. Qui scrofuloso cancerosove morbo suppurante laborant, brevi gangliorum tumefactione corripientur in inguinibus, si partes inferiores, ut testes,

uterum et morbus invaserit; in cervicali autem, vel axillari regione, si partes supernas.

In his casibus, sicut in omnibus aliis, nimiam influentiam partibus solidis tribuimus: non sympathicâ irritatione hæ fiunt transmissiones, potius verò alteratorum transvectione fluidorum. Cum enim organum quodcumque morbosum labore corripitur, annon evidens est hæc in parte fluida esse alterata? In quo casu, telarum viventium molecularis actio ea necessario in vasa compellet, ut cum cæteris totum corpus irrigent, et in omnes partes suum venenum infundant. An aliundè quærenda est diathesis scrofulosarum, cancerosarum, scorbuticarum aut syphiliticarum origo? Interni morbi forsàn sæpius à fluidis quàm à solidis oriuntur. Appropinquat tempus cum facillè erit hanc propositionem demonstrare; et jam nunc prædici potest indè facturum ut multa in medicis rebus subvertantur. Plures enim medici à recentibus doctrinis ad fluidorum inquisitionem sese convertere videntur.

Si vel minimùm interna suppuratio in longum protrahatur, turbatur circulatio, alterantur secretiones, sicca fit cutis et squamosa, speciali modo rubescunt genæ. Magni abscessus, gangrænosa ulcera non diù existere possunt quin fiat purulenta absorptio. Placentæ detritus qui ad purgamenta efficienda alterantur, sæpè à venis absorbentur, ut in fluidorum generalia receptacula transfundantur. Vicies jam purem persecutus sum à fonte purulento usque ad cor; et si his esset locus, hæc de re multas notatu dignas hîc exponerem observationes quæ materia erunt dissertationis quam editurus sum. Sed animadverto me diutiùs immorari in pathologiæ quæstionibus, quæ tanti sunt momenti; jam ad tubercula pulmonaria redeo.

Circumfusa. Etsi eorum actio malè æstimata sit, evidenter tamen phthisim producere possunt. Nam nigrîtæ, v. g., qui in suâ regione tuberculorum sunt immunes, hæc tabe tamen in nostrâ Europâ interimuntur. Rurum incolæ qui in magnas civitates transmigrant, tam sæpè tuberculis succumbunt quàm qui eas semper incoluerunt: attamen phthisis multò rarior est rure quàm in populosiis urbibus.

Crudelis hic morbus, hominibus collectis quàm singulis multò infensor est hostis. Quod potest notari in ædibus publicis in quas frequentes concurrunt miseri pueri ut sanitatem recuperent. Sæpè id notavit D. *Guersent*, qui numerari potest sapientiores inter observatores, et qui suo munere meliùs quàm quilibet alius huic morbo studere potest. Indè concludendum foret quasdam aëris conditiones originem dare posse pulmonum tuberculis, etsi incognitæ sint hæ conditiones. At clariùsne perspiciuntur in plerisque aliis morbis atmosphæricæ impulsiones?

Quæ dicta sunt de *regimine* mihi videntur nullius momenti. Reipsâ pauperes et divites, qui crassis ut qui delicatis utuntur cibis; qui perpetuò tempestatum vicissitudines patiuntur ut illi qui pallidi fiunt in principum ædibus; rudis omni curâ vacuus ut ille quem exagitant superbia, ambitio, amor, conscientiae stimuli, vel alia animi pathemata, adeò terribili hosti resistere non valentes, pariter succumbunt.

Idem ferè sentiendum de his quæ dicta sunt de phthisicâ constitutione. Certum est saltem homines pallidos, flavis crinibus, graciles, proceros et tenues, quorum pectus projicitur et comprimitur in oppositis partibus, scapulas habentes quasi à thorace segregatas, sat diuturnam agere posse vitam, vel etiam mori adhuc ætate florente, sine tuberculis in pulmonibus; alios verò athletarum egregiis formis præditos illorum non esse immunes.

CAPUT SECUNDUM.

De diagnosi.

« Quàm fallacia sunt morborum signa! Filii, seduli estote in assignandis morborum characteribus. » (*Baglivi.*)

Hic mihi perpendenda essent ferè omnium morborum signa et symptomata, si disserere vellem de omnibus quæ indicant læsiones nomine generali *phthiseos* designatas. Sed cùm pateat plures ex illis sedem suam in pulmonibus non habuisse, et inter eas quæ hoc or-

ganum afficiebant, multarum tubercula non fuisse causas, de his tantum disseram quæ directè ad meum propositum pertinebunt.

Cum recentiores tantum medici peculiari modo in pulmonaria tubercula animum intenderint, eorum signa inveniuntur confusa cum tot aliis in præclaris *Arete*i tabulis, in omnibus operibus quæ præteritis sæculis edita sunt; indè fit ut eorum diagnosis admodum sit difficilis.

Hæc corpuscula sunt accidentales productiones, aut morbidæ transformationes nostrarum telarum, quæ morbos specifici generis constituunt, quorum causæ et vera natura nos omnino fugiunt.

Ex eis oriuntur phænomena necessario diversa pro ratione organi in quo nascuntur, et unius cujuscumque naturæ et dispositionis, multarumque hygienæ conditionum.

Nunc magni momenti fiunt et utilissimæ quas proposui divisiones. Scientia enim nullam authenticam observationem possidet (quam noverim saltem), quæ probet pulmonum miliaria et granulata tubercula varium tenorem vel diversam terminationem habere. Paulò celerius procedere, aut in suo cursu retardari possunt; sed necessario per omnes quos supra notavi degenerationis gradus transeunt. Qui cum iis conjunguntur morbi, sæpè eorum sunt effectus, nunquam ut causæ haberi possunt.

Inter alia verò tubercula, quædam sunt quorum cursus videtur impediri posse, quibus natura aliquandò feliciter resistit. Quæ ultima sæpius alibi quam in pulmonibus nascuntur. Eorum conformationem, suppositam saltem, ferè semper antecessit alius morbus plus minusve gravis, ut sunt variæ febrium species, exanthemata, internæ vel externæ suppurationes, etc. Multæ observationes quæ leguntur apud omnes auctores, et quod quotidie videmus, ad hanc propositionem confirmandam concurrunt.

Cruda in pulmonibus tubercula sunt siccæ phthisis multorum auctorum, hectisis D. *Baumes*, tandemque phthisis in primo gradu. Præcipua tantum ex multis quæ ad eam dignoscendam data sunt

signa , memorabo. Si singularia considerentur , possuntne esse pathognomonica? Hanc quæstionem perpensurus sum.

Signa ex pulmonum functionibus deducta. 1.º De tussi. Cùm tussis reperiatur in pleuritide, in pneumoniâ, in pulmonari catarrho, etc., cùm oriri possit ex laryngis, pharyngis, ventriculi, uteri et aliarum partium læsione quâcumque, evidenter patet id signum non posse phthisim ab aliis morbis distinguere. Tubercula tussim pariunt, quia fluidorum in pulmonariâ spongiâ circulationem impediunt, eodem modo ac omne aliud extraneum corpus ibi natum aut eò introductum. Etsi utilissimum sit ejus specialem naturam diligenter observare in hoc morbo, non adeò peculiaris est tamen, ut semper dignosci queat. Prætereà phthisis aliquandò per omnes suos gradus transcurrit, quin eam tussis comitetur. Cùm autem tussis sive tuberculis, et tubercula sive tussi procedere possint, indè sequitur hoc non esse certum phthiseos signum.

2.º Respirationis difficultas. Respiratio difficilis esse potest in eisdem casibus, et propter easdem causas ac tussis. In pleuram effusiones, emphysema pulmonum, asthma, nervosi morbi, cordis affectiones, ad bronchiarum radicem tumores, denique omnis compressio respirationis organi, hanc functionem plus minùsve impediunt. At apud homines tubercula ferentes, speciali modo respiratio obstruitur? Ità est plerumquè, et non semper. Prætereà phthisis existere potest, aëre in pulmonibus liberè circulante. (*Lieutaud.*) Ergo respirationis difficultas non est phthiseos signum pathognomicum.

3.º Dolores in thorace. Pendere etiam possunt ex causis dissimilimis, et ex morbis maximè variis. Attamen eorum peculiaris natura diligentissimè est notanda. Varii enim sunt pro variâ eorum causâ: adeoque est difficile eorum differentias cognoscere, ut centies qui judicati fuerant ex eo signo phthisici, contrarium post mortem probaverint. (*Morgagni.*) Prætereà phthisis visa fuit sine dolore in pectore

(*Lieutaud, Portal, etc.*); ergò in thorace dolores non certam indicant phthisim.

4.° *De hæmoptysi sive sanguinis expuitione.* Hoc ad signum maximi momenti animum convertere debemus. Sine diligenti indagatione, in gravissimos errores ne incidamus periculum est. Discernendus est sanguis qui oritur ex ore, pharynge, larynge, ventriculo, ab eo qui in pulmonibus originem habet : cùm autem ex hoc organo effunditur, hæmorrhagia pendere potest ex dispositione generali aut locali, ad hoc morbi genus, ex quorundam fluxuum naturalium aut accidentalium suppressione, ex cordis læsionibus, ex quâvis aliâ pulmonum alteratione, ut etiam ex tuberculorum præsentia; ità ut multi moriantur post pneumorrhagias; nec tamen in eorum pulmonibus tubercula inveniuntur. Aliundè multi tuberculosi intereunt, qui nunquàm sanguinem sputaverunt (*Portal, Bayle*); ergò hæmoptysis non est certum phthiseos signum.

5.° *Puris expuitio.* Unum est ex signis de quibus plura dicta sunt ad phthiseos diagnosim. Quamvis tubercula jam remollita indicet, de eâ nonnulla dicam tamen, cùm cruda non eodem tempore remollescant. Undè, si possibile esset suppurantia detegere, certa esset crudorum existentia. At primò pus ab aliis fluidis vel excretis, vel in pulmonibus efformatis, potestne semper secerni? Hæc quæstio solvi non potuit omnibus veterum experimentis, nec *Schwilgué* et *Baumes* conatibus. Preterea probatum est vomicas, minores abscessus in pulmonibus efformatos in bronchias effundi posse, pus quoque expuitum oriri posse ex læsionibus laryngis cæterarumque partium aëriferi ductûs. Aliundè per necroscopiam detectæ sunt vastæ cavitates tuberculosæ in hominibus qui pus nunquàm sputaverant; præterea non semper est facile pus ab aliis expuitis secernere materiis. Insuper pus à pulmonibus tuberculorum immunibus oriri potest, et tubercula aliquandò existunt, ægro nihil puris expuente; ergò purulenta expectoratio, seorsim sumpta, non aliis certius est ad phthisim dignoscendam signum.

6.* Ægri aliquandò expuunt calcerias, granulatas, grumosasque substantias concreto albumine, in muco dissoluto quasi formatas, vel materiam quamdam subnigram plus minùsve solidam. At hæc in multis phthisicis non observantur, et in aliis morbis reperta sunt; ergò certa non sunt phthiseos signa.

Nigrorum sputorum formatio sat notatu digna est, ut multi auctores de eâ speciali modo tractare non dubitaverint. Quidam censuerunt ea oriri ex sanguine alterato in bronchiarum ductibus; alii autem existimaverunt ea esse partes avulsæ à nigrâ pulmonum substantiâ. Tandem *Senac*, *D. Portal* dicunt bronchica ganglia eorum esse fontem. Quamvis indubitatum videatur hæc sputa fuliginosa, et aliquandò etiam nigriora suum colorem tenere à carbone qui è pinguibus avelluntur materiis, dùm comburuntur, ut indè in bronchias transmittatur, probabile est tamen unamquamque ex suprâ memoratis opinionibus veram esse aliquandò.

Quinque casus à *D. Guersent* observati probare videntur nigram bronchicorum gangliorum materiam in bronchias transfundi posse. In his enim, ganglia de quibus loquor, erant tuberculosa, suppurata, et in tracheam arteriam aperta.

7.* Cum alia signa nonnisi sympathica sint phænomena, evidenter patet eorum ope phthisim dignosci non posse. Turbatur quidem circulatio: sed quamvis *Galenus*, *Solano*, *Bordeu*, *Fouquet*, etc., multùm in hoc insudaverint, arteriæ pulsûs inspectio non sufficit ad sedem morborum indicandam, nedùm ejus ope varias ejusdem organi læsiones discernere possimus, si vel minimo inter se vinculo connectantur. In genis rubra suffusio, cutis et siccitas et asperitas, hîc præcipuè pedum et manuum plantæ ardens et specialis calor diligenter etiam sunt observanda, quamvis non semper reperiantur, et ad varios morbos pertineant. Undè hæc omnia non sunt signa pathognomonica.

Idem dicendum de irregularibus quæ sub vespere superveniunt rigoribus, de nocturnis sudoribus, de hecticâ febre, tandem de

macie , dentium albedine , labrorum et faucium rubedine , vocis alterationibus , currendi difficultate , epistaxibus ; et cùm diarrhæa in ultimo tantem stadio notetur , nihil de illâ dicam. Prætereâ hoc signum aliis non est certius.

8.º Quamvis certissimum videatur ex suprâ dictis , nullum ex signis modò enumeratis seorsim sumptum , in pulmonibus tuberculorum præsentiam probare , videamus tamen an saltem collectivè sumpta id certò indicare queant. Atqui reperti sunt pulmones tuberculorum immunes in eis apud quos , durante vitâ , catarrhus , difficilis respiratio , tussis , hæmoptysis , purulenta sputa , in thorace angores , febris hectica , diarrhæa , cutis siccitas et asperitas , genarum rubedo et omnia alta phthisis symptomata successivè observata fuerant (*Bayle* ; obs. 47 , 48.) Aliundè visa est tuberculosa degeneratio in eis apud quos nullum ex his signis conspectum fuerat ; quod non valdè rarum est , et ab omnibus notatum observatoribus. Sæpè ipse hoc vidi. Si autem recentia quærerentur exempla , febre ataxicâ quemdam interemptum citarem , cujus historiam tradere mihi dignatus est D. *Guersent*. Ergò hæc omnia signa , etiam collectivè sumpta , ad certam diagnosim non sufficiunt.

An indè concludendum crudorum in pulmonibus tuberculorum diagnosim semper incertam fore ? Minimè sanè ; plerumquè enim certa fieri potest. Qui non solummodò legunt , ut medicinæ periti fiant , qui doctrinas deserunt apud ægri cubile , ad observandam naturam , quam fatentur se non semper intelligere , sæpè phthisim dignoscere poterunt. Quam autem per viam ad tanti momenti finem pervenient ? id dictu non est facile. Sunt in hoc morbo , sicut in multis aliis , quædam signa quæ perspicaces observatores percipiunt , quæ autem depingere semper non valent. Quot læsiones cordis nos prætereunt , quamvis *Corvisart* librum manibus versemus , quas tamen tanti ingenii vir primo intuitu agnovisset ! Pauci medici sapientibus monitis uti sciunt , quæ clarissimus ille vir conscripsit

in suâ ad librum *Avenbrugger* præfatione, quæ numerari potest inter optima scientiæ monumenta. Hæc præfatio litteris aureis inscribi deberet ante oculos omnium qui medicinæ student, aut eam faciunt.

Non solùm certa esse potest tuberculorum in pulmonibus diagnosi, sed etiam in quibusdam casibus, cujus speciei tubercula sint debellanda, perspicui potest. Ad hoc faciendum, diligentissimè morbi tenor est observandus, varia ejus signa accuratissimè perpendenda; necesse est ad organa dolore affecta hæc symptomata referre. In complicationibus abstractione utendum, probationes negativæ convenienter adhibendæ. Essentialia ab accidentalibus signa sedulò segreganda. Morbus simplex antequàm complicatus examinandus.

Ante omnia, sequentis propositionis veritas attentè perpendenda : *Bayle* et *D. Laennec* optimè eam dilucidaverunt. Hæc est : cruda tubercula, sive miliaria sint, sive granulata, nullum suæ existentiae indicium promunt, priusquàm mechanicè impendant pulmonum functiones, sive suâ gradatim factâ et spontaneâ accretione, sive propter accidentalem perturbationem in œconomiâ factam. Tunc incipiunt observanda à quindecimo plerumquè ad trigesimum ætatis annum, apud homines qui epistaxim frequenter passi sunt, qui constitutione phthisicâ dictâ præditi sunt, quorum incrementa nonnihil irregularia fuerunt, sicut etiam apud eos qui pulcherrimâ sanitate et conformatione frui videntur.

Malum incipere potest à quâdam pectoris lassitudine, à dolore generali et intrinseco in hac cavitate, quæ minor videtur quàm ut pulmones continere possit. Magnæ inspirationes difficiles evadunt; Si æger durum opus agat aut currere velit, sudore conspergitur, aut vix anhelat; levis tussis apparet quæ identidem revertitur irregularis, aliquandò per accessus, cùm excitatur circulatio, quocumque paulò vehementiore exercitio. Si æger gravedinem patiatur, illius catarrhi symptomata sunt tenaciora; si abeant, brevi redeunt, quamvis sedulò removeantur causæ. Subiti æstus ad faciem ascendunt, quæ

per intervalla magis est rubro perfusa. Dolor nunc levis, nunc acutus, dorsum aut sternum pungit, præcipuè cum vacuus est ventriculus, aut aliquid immoderatè factum est. Tunc frequentior et magis laboriosa fit tussis: primis temporibus comitem habet expectorationem mucosam, translucidam, spumosam, parùm abundantem, quæ difficilè evellitur, etc.

Nonnunquàm evanescent omnia hæc symptomata, illisque succedunt hæmorrhoides, vel exanthema quoddam, ventris profluvium, prægnatio apud mulieres, etc.; postea redeunt majoribus viribus munita. Sæpè hæmoptysi prænunciantur. Arteriæ pulsus est durus, solito frequentior, sicca et ardens, præsertim manuum et pedum cutis: dolet caput. Mentis facultates sæpè excitantur, sicut et sexuum functiones. Subrubra est lingua in margine et apice, pallida et subalbida in medio; sapor insulsus in faucibus percipitur. Sæpè fit ut aphthæ in hac cavitate nascantur. Ciborum appetitus et digestiones turbantur, aut alterantur. Tussis in dies crescens vomitus potest ciere. Si mitescant symptomata, vel minimâ causâ revocantur graviora. Novus dolor nascitur in quâdam pectoris parte, qui primum non fugat. Sanguinis expuitio spumosi, rubri, saporem salsum in pharynge relinquentis, sæpiùs redit. Si levis fuit lateris dolor, celeriter potest aufugere. Expectoratio, semper translucida et spumosa, fit copiosissima. Cessat ciborum appetitus, macie corripitur æger, sicca fit cutis et squamosa; crescit vespertinus calor; supervenit febris accessus, quem sequitur sudor plus minùsve copiosus, vulgò quasi viscosus, conspergens præcipuè thoracem. Si dolor remissus fuerit, mox redit plura loca simul aut successivè occupaturus. Respiratio fit difficillima, brevis, laboriosa. Gravior fit vox, aut alio modo mutatur. Urinarum emissio exurit ductum suum. Rubræ sunt vel subflavæ et sedimentum lateritium deponunt. Omnia hæc phænomena remitti aut recrudescere per alterna possunt intra breve vel longum tempus. Sed rursùm, quæcumque adhibeantur cautelæ, vehementiora redeunt. Matulino tempore crescit tussis; crassiora fiunt sputa et opaca, forsàn nimis copiosa quàm cùm erant

mucosa. Magis ac magis respiratio fit difficilis; aliquandò est rhoncha vel stertorosa. Sapor quidam acris à larynge et pharynge percipitur. In his partibus notata est rubedo quædam specialis generis, quam describere res est difficilis. Ibidem etiam videntur aliquandò leves excoriations. Importunus calor occupat pleraque organa. Tunc incipit hectica febris; rubent genæ simul et flavescunt; manuum pedumque ardor crescit. Tandem ex hoc tempore apparent omnes sympathicæ læsiones, sive destructionis, sive reactionis fluidorum vel solidorum, quas parere potest pus resorptum et in organa transcurrens cum omnibus aliis fluidis. Tunc suppurata existunt tubercula; confirmata est phthisis; in secundo gradu est. Nullus alius morbus ac tuberculosus pulmonum in suo tenore offerre potest simul omnia modò memorata symptomata. Atqui vulgare est hæc terrifica signa phthisim primum suum gradum percurrentem comitari.

Ergò certa diagnosis tuberculorum crudorum in pulmonibus potest haberi.

Si hæc signa non sufficerent sive quia non semper conjuncta reperiuntur, sive quia confunduntur cum aliorum morborum symptomatibus quæ phthisim in suo principio complicant, supersunt adhuc duæ explorationis viæ: percussio nempe et auscultatio, quæ tunc erunt maximæ utilitatis. Etsi hæc duo auxilia quæ nostrum ævum illustrabunt, non tanti momenti sint in primâ tuberculorum periodo quàm in ultimis ejus gradibus, et in multis aliis læsionibus, minimè tamen sunt negligenda; nam complicationes revelabunt vel earum absentiam: et brevè fortassè numerosæ observationes diligenter et sapienter factæ probabunt tubercula in pulmonibus agnosci posse, ut dignoscuntur cavernæ quas efformat pus effusum.

Ut fieri posset alterius generis tuberculorum diagnosi, necesse foret ut perpensa fuisset hæc divisio, ut eorum signa ab aliis secreta fuissent, aut mihi suppeteret tempus ad varias observationes auctorum colligendas quæ possent hanc quæstionem dilucidare. At cum tam breve tempus mihi concessum sit, nihil possem afferre, nisi quod ipse vidi; sed his non est hîc locus. Præterea hæc, non cruda

dicuntur, sed ea quæ descripsi, quorumque nunc curationem expensurus sum.

CAPUT TERTIUM.

De curatione.

Si tuberculis tolluntur tot homines, mirum sanè id videri debet, cum tam multa remedia ad eorum curationem sint proposita. Etenim ab *Asclepiadibus* usque ad *Willis*, à *Mortone* ad *Desault*, et hodiè etiam unusquisque medicus se eorum remedium cognoscere affirmat. Hygiene et diæteticæ, pharmacia, chirurgia, universa tandem therapeutice, evocatæ sunt ad hanc curationem, omnes medicinæ fontes exhausti sunt; nullum est remedium, nulla medicatio quæ non fuerint tentata, prædicata et rejecta vicissim. Id autem non mirum; veteres enim præcipuam operam therapeuticæ navabant. Quinimò natabant in sterili abundantia. At morbidarum telarum anatomiam ignorabant: peritiores hujus scientiæ sunt recentes medici, sed therapeutica neglexerunt; omnia ferè, saltem in hac parte, sunt destruenda et reædificanda. Hæc quæstio est una inter difficillimas et maximæ curæ dignas. Est etiam permagni momenti, cum finis omnium medicorum debeat esse morborum curatio.

Quoad phthisim, multum referebat ejus sedem et naturam indicare, ut postea perpenderetur an possibilis sit ejus curatio. Si incerta est mali natura, incerta quoque erit ejus curatio; quod accidit in hac quæstione. Cum eodem nomine varii morbi designati sint, alii sanari debuerunt, alii verò resistere: indè sententiæ planè oppositæ. *Bayle* censebat et contendebat tuberculosam phthisim esse incurabilem. Hæc tristis assertio nititur infelici experienciâ et multis observationibus, ita ut quibusdam demonstrata visa fuerit. Nimis luctuosa est hæc opinio quàm ut sine maturo examine admittatur, et libenter mihi persuadeo tabulam nimio plus obscuratam fuisse. Ut judicium feratur de hac propositione, attentè considerandum est quid possit naturæ benignitas, et quæ sint artis vires. Vita dives est subsidiorum

nobis incognitorum : caveamus ne ejus potentiam terminemus. Cùm professor *Laennec* tubercula necessariò progredi ad remollescentiam, nihilque ea posse in processu impedire vel retinere, annon ultra veritatis fines processit? Probatum, me judice, scrofulosos, quorùm lymphatica ganglia continebant tubercula, tamen optimè sanatos fuisse. Plures pueri per multos annos strumas habent in collo. Quædam suppurant, expellunt flocculos albuminosos cum materiis variæ fluiditatis; aliæ evacuantur, putaminis instar, pingui substantiâ, caseosâ, albidâ et subflavâ; deindè cicatricantur. Aliæ tandem duræ remanent, maximè inflatæ, sine cutis rubedine, quæ non absceduntur, et, rosariorum granorum instar, usque in pectus producuntur, et sic persistunt usque ad tempus quo felix quadam revolutio, v. g., pubertas, fugat omnia hæc symptomata periculosæ diatheseos, perfectamque reducit valetudinem.

Probatum est etiam tabem mesentericam ad summum gradum perductam tamen fuisse sanatam. Rure hujus rei exempla non admodùm sunt rara. Ibi enim pueri sibi traditi mortem vitant quæ videbatur ineluctabilis. Inter cæteros vidi puerum quatuordecim annos natum, etsi ejus facies septem annorum puerum indicaret, qui à septimo ætatis anno sæpè ventris profluvio laboraverat, vel febre, cujus venter ex hoc tempore semper inflatus et durus fuerat. Cùm eum observavi, omnis ejus corporis habitus erat siccus et cadaverosus, tussiebat sputabatque. Præterea tineâ afficiebatur; tumidissimus erat ejus venter. Per parietes abdominis facilè tractari poterant permulti tumores duri, nullum dolorem producentes. Unum annum in turonensi nosocomio retentus fuit. Semper eadem remansit ejus valetudo : indè egressus rediit post annum. Quinque pedibus erat altus, nullumque prisci morbi vestigium offerebat. Persuasum etiam habeo tubercula in bronchicis gangliis nata sæpiùs absorpta fuisse. Vidi in turonensi nosocomio duos pueros, de quibus suprâ mentionem feci, mortuos esse octavo mense post morbillorum terminationem. Incisis cadaveribus, reperimus plura bronchiarum ganglia, quasi indurata, in medio quorum supererat paululùm albuminis

concretæ suo kysto in se redeunti compressæ, ita ut ejus parietes quæ inter se jungebantur, tandem in bronchiarum substantiam coivissent, si æger diutius vixisset. Unum ex his gangliis leviter tantum erat plicatum; at substantia quâ replebatur erat durior. Duo alia suam formam servaverant; at transmutata fuerat eorum materies in caseosam, quæ in kysto videbatur contenta. Præterea observabantur in eorum pulmonibus quidam fontes qui fuerant antè qui erant purulenti. In uno è cadaveribus, pulmones quatuor continebant; alter duos tantum. In uno ex his fontibus, materies adhuc fluida erat et purulenta; in alio erat limpida, cum aliquibus albuminosæ materiæ particulis; tertio erat facies ganglii mensenterici tuberculosi. Ex extremis partibus aliorum proficiscebantur lineæ quasi fibræ cartilagosæ, quæ radorum instar in pulmones sese plus minusve extendebant; quæque supererat materia, eò erat crassior, quò minor. Maximum horum tuberculorum non majus erat amygdalo. Potestne inficiari hos fuisse parvis abscessus, ex veteribus tuberculis remollitis natos, vel ex pulmonum læsione, cum sæviissent morbilli, et sanari potuisse, nisi ægri aliis morbis succubuissent? In quinque casibus à D. *Guersent* observatis, nisi ægrotantes aliis morbis correpti fuissent, si tubercula in pulmonibus rara fuissent, annon probabile est phthisim ad curationem adduci potuisse? Si in quibusdam læsionibus conglobatarum glandium, hæ glandes suppurationem patiantur, aut in tuberculosam transformentur materiam, ut sæpè fit, et absorbeatur, aut alio modo evanescat hæc materies, de quo vix dubitari posse mihi videtur, cur etiam minora et sæpè nimis dura tubercula eodem modo deleri non possent? Si medici studerent diligentius fluidis eorumque proprietatibus, viderent ab his quidem posse multa mala produci, sed etiam multa sanari. An non visi sunt vasti abscessus resorpti et deleti paucos intra dies?

Anno 1819, hortulanus quidam vicinitatem incolens nosocomii turonensis, morbillis confluentibus gravissimis correptus est. Dùm convalesceret, supervenit illi tumor quidam omne poplitis dextri spatium replens. Evidens erat fluctuatio. Abscessus erat scalpello

aperiendus; biduum ut gratiam poposcit. Sex aut octo puris unciae in eo videbantur contentae? At post quatuor dies, jam pus absorptum fuerat, et aeger postea sanatus. Bubonum in inguinibus suppurationo an non saepe ex oculis subducitur, illis minimè incisis? Quid impedit quin pauca tubercula eodem modo tollantur? Quamvis pleraeque observationes phthisim sanatam fuisse comprobantes sint minimi momenti, an idem de omnibus sentiendum? Præterea facta quæ referuntur à P. Laennec, et à multis aliis qui post illorum venerunt, an non probant naturam non semper esse impotentem? Cum in quibusdam casibus numerus tuberculorum granulatorum indeterminatus, crescendo in unum coirent, ut remollescendo vomitum efficiant quæ in bronchiâ aperienda est, et tandem ægri ad sanitatem perveniant; saltem probabile est sat multos phthisicos hoc modo sanari posse. Attamen fateor hæc omnia non probare possibilem esse curationem crudorum in pulmonibus tuberculorum. At neque probatum ea nunquam sanata fuisse. Nam dato hæc corpora, dum cruda essent, absorpta fuisse, quomodo id dignosci posset, etiam in cadaveribus? An in pulmonibus aliqua notabitur differentia à solito statu?

Nigritæ et Americani, de quibus jam supra dixi, an non ferè evidenter probant possibilem esse tuberculorum curationem? Apud eos ignotus est hic morbus, et apud nos contra eorum psittaci, simii, etc., sicut et homines, illo saepe tolluntur. Si autem, quamvis jam evidens sit morbus, in patriam suam revertuntur, omnes perfectè sanantur. Ex his observationibus concludo naturam *non semper curationi adversari*. Videamus nunc an semper vanæ et inutiles sint artis opes?

Omnes morbi duobus modis impugnari possunt. Vel enim causas, vel earum effectus aggredimur. Extrahitur è vesicâ calculus; urinalis ductus ampliatur: veneni in ventriculum introducti vis destruitur; ligamentum inciditur quod membra strictim attingit; tollitur spina in nostras telas immissa, quia *sublatâ causâ tollitur effectus*.

Raræ autem sunt læsiones ad quas sanandas tam potens sit medicina. Si idem hoc venenum quod modò attingi potuit, chymicæ

substantiæ alterare non valent , necesse erit impugnare effectus ab eo productis. Atqui omnes ferè interni morbi sunt in eodem ordine , et forsàn in pejori. Sæpè enim eorum causæ nos planè fugiunt. Si homo quidam, ardenti soli se exponendo , erysipelate corripitur; si , ingendo in ventriculum substantias acres et irritantes , gastritidem patiatur , causa morbi evidens est. Sed in læsionibus quæ vocantur inflammationes viscerum , membranarum , vasorum , quid novimus? In his casibus ægrè fatetur medicus se procedere oculis caligine obductis, suasque omnes medicationes esse obliquas , nisi fortè in quibusdam casibus empiricè cognitis. Reipsâ in his ultimis causæ nos planè fugiunt : at remedium eas impugnat debellatque, et sanitatem semper reducit, si opportunè et convenienter administretur. Hi sunt morbi , hæ sunt medicationes specificæ. Damnosum est artis potentiam in perpaucos extendi , quamvis probabile sit multas existere.

Possunt nosologi , systematum conditores , morbos per ordines , speciesque etc. , distribuere ; ac optimè quidem , cùm meliùs fieri non possit.

* At non minùs verum est plerisque malis quibus premitur misera humanitas , esse suam propriam indolem , suumque tenorem , quæ generaliter considerare licet illis quos juvant hypotheses , quæque seorsim et peculiariter perpendere debet medicus publicæ utilitati inserviens, variosque morbos attentè considerans.

In tuberculosis affectionibus duæ hæ methodi , nempè medicatio indirecta et medicatio specifica , vicissim aut simul adhibitæ sunt. Medici qui videntur velle scientiam retropellere , hanc ultimam ab aliquo tempore acriter impugnant, eamque ut ineptam habent. Illis respondi posset eorum tantùm absurda esse ratiocinia qui has medicationes admittere nolunt. Reipsâ enim, si spina altè mittatur in nostras carnes , si autem eam avellere nequeunt , quia carent instrumentis ad id necessariis , quid agent ? Sanguinem mittent , cataplasmata applicabunt , antiphlogisticâ curatione utentur , ut inflammationi et suppurationi obveniant. Hæc illis curatio benè succedet aliquandò.

Si annulus minor violentiùs constringit quoddam membrum, crus, v. g., ità ut fluidorum circulatio impediatur, quid agent ad removenda mala quæ accidere possunt, aut ad iis subveniendum, si, deficientibus iumentis, vinculum solvere non valent? Rursùs sanguinem mittent; sed hoc non sufficiet. Quid ergò erit agendum? — Evellenda spina, aut solvendum vinculum. At idoneis caremus instrumentis? — Ergo quærenda. Hoc est *specificum* remedium. Idem dici potest de morbis internis, et specialiter de phthisi; evidenter enim patet setones, moxa, vesicatoria, emetica, purgantia, etc., sicut venæ aperturam, esse auxilia nonnisi secundaria, quæ possunt eos morari quidem, non autem vincere. Hic enim etiam figitur spina quædam, sicut in omnibus aliis morbis; quam nisi avellas, cum per se destrui non possit priusquam organum destruxerit, necessario illius interitum pariet, irritis omnibus luis generalibus medicationibus. Quid ergò faciendum? Reverà quidem tollendi illius causæ effectus omnibus rationibus cognitis, et, quantum fieri potest, ut vis ejus debilitetur. In memoriam revocandum nos uti posse nonnisi obliquis remediis, et esse necessarium quærere instrumentum ad avellendam spinam; hoc enim est *specificum remedium*.

Omnes animadvertunt me idem dicere posse de singulis aliis morbis, et mihi quoque facile futurum esse theoriam proponere quæ hoc peculiare haberet ut in eâ prodesse possent non solum medicationes jam cognitæ, sed etiam qui in posterum detegentur. Jam verò omnium observatorum in animo existit hæc theoria, nec systema speciale formaret debet; hoc enim in casu, non ampliùs esset bona; omnia enim in scientiis medicis systemata sunt per se et suo nomine fallacia. Ad pulmoniæ curationem redeo.

Omnes medici qui censuerunt sanabilem esse phthisim, et qui ejus morbi curationis exempla retulerunt, evidenter suam medicationem converterunt in quædam illius symptomata aut in morbos omninò ab illâ distinctos. Itaque læsiones quædam phthisim mentientes debellatæ sunt sedulo regimine, lacteâ vivendi ratione, diætâ emollienti, ut suaserant *Fothergill*, *Planchon*, fructibus præcipuè

commendatis à *Sauvages*, *d'Assy-Dargentan*, *Richter*, etc. Eodem modo explicari debent successus tam prædicati quos obtinuerunt multi auctores utendo variis medicamentis. *Cheyne*, v. g., præscribit lac purum, quocum butyrum miscent *Cruger*, *Gilchrist* et anglici auctores, in quod acidum infundi jubet *Misih*. *Henricus* vult cum lacte corpora aëriiformia confundi. Tartari prædicant *Koumiss*; *Marx* cucurbitæ succum; alii suadent herbarum succos, sorbitiones medicinales cum testudinibus, limacibus, piscibus squamosis concoctas, ut præscripsit *Tulpius*. *Marteau* Ambianensis tepidis balneis magnam fidem habebat.

Sanguinis emissio quantum esset utilis multi confessi sunt medici, et speciali modo examinata in quâdam thesi de hâc quæstione: *An phthisi pulmonali idiopathicæ præcavendæ*, etc., defensa anno 1769.

Idem dicendum de opio prædicato à *Fizes*, *Fournier*, et præsertim à *Meza*, in suâ dissertatione *de Opio phthiseos prophylactico*.

De revulsivis ab *Euryphon*, *Hippocrate*, *Archigeno*, *Celso*, *Rozière*, *Poutau*, *P. Percy*, etc., laudatis.

Purgantia in omnibus sectis ardentes habent defensores. Emesis sanat phthisim, ut aiunt *Robinson*, *Ried* et *D. Lanthois*.

Hâc virtute prædita sunt sudorifica, secundum *F. Hoffmann* et *Bennet*, *Werlhof* et *Woelge*.

Omnes norunt quomodo utendum excitantibus in cuti, et præsertim laneis pannis.

In externas regiones transmigrationes, longinqua itinera, exercitia suadebant *Sydenhamus*, et *Galenus*, qui suos ægros in Ægyptum mittebat, et præcipuè *Starck*, *Busch*, *Smyth*, qui præcipit oscillationes.

Marx camphoram cum præcedentibus jungit; *Busch* aconitum, *Rivierus* et *d'Arcet* sulfur commendant. Aquæ minerales vulgò etiam commendantur. In Angliâ, aquæ apud *Bristol* sitæ prædicantur. In

Galliâ autem aquæ Montis-Aurei præcipuè celebratæ sunt à D. *Baumes*, et nuper à D. *Bertrand*.

Multa balsama, pluresque resinæ aut gomme-resinæ habentur etiam optima hujus morbi remedia à *Fuller* et *Werlhof*, *Jeannet* et *Simmons*.

Willis, *Morton*, et *Labrousse*, qui celabat suum arcanum, magnam virtutem aquæ calcaris tribuunt.

Ex quinque et triginta ægris à *Bang* observatis, tredecim suam salutem debuerunt oleo asphaltæ, quod etiam laudant *Teden* et *Lentin*.

Quis nihil audivit de antihecticâ *Poterii*, et de successibus quos *Vogel* contendit se ex eâ percepisse?

Solano et *Hispani* existimaverunt quarumdam quercuum glandes pretiosis dotibus esse præditas.

Dehaen et *Schwenke* magnam famam tribuerunt marrubio, quod etiam vulgò in ruribus commendatur.

Geoffroi et *Wantters* laudaverunt botryden, post *Mathiole*.

A *Collin* polygala frequenter in usum venit; à *Cramer* lichen islandicus serè ubique est usitatissimus. *Lepecq de La Cloture* annon omnibus phthisicis dabat uum sirupum cum agarico pretioso factum?

Maris atmosphæra, gaz oxygene, hydrogene, acidum carbonicum multa speranda dederunt *Gilchrist*, *Caillens* et *Bergio*, *Beddoès*, *Muhry*, et *Dauxion*, qui vult phthisicos includi in bubilibus.

Fumigationes sulfurosæ et balsamicæ, vel cum pice nauticâ factæ, quas suasit doctor *Crichton*, suos etiam habent laudatores.

Opinio *Boerhavi* et *Pouteau* de brassicis pervulgata est in Germania.

Saccharum erat antiphthisicum *Avicenni*. Sirupus cucurbitæ remedium erat *Dasille*; daucus carotta *Margraff* et *Lacroix*; *Macgbride* cerevisiæ mustum; *Leclerc* abietum gemmula; *Gardane* nasturtium; *Godar* acidum sulfuricum dulcefactum.

Meminimus quanto studio *Quarin* corticem peruvianum suaderet. Cum atropâ belladonâ *Marteau* magnos obtinuit successus, cum hyosciamo *Storck*, cum cicutâ *Bergius*, cum phellandrio aquatico *Lange*, cum mercurio *Desault*, Angli et Germani.

Tandem digitalis purpurea etiam celebrata est. Nunc autem acidum hydrocyanicum observant medici.

Si attentè consideremus facta ab his omnibus auctoribus relata, patet eorum medicationes non directè adversùs tubercula fuisse directas. Pro circumstantiis, profuerunt leniendo causas quæ organorum destructionem producunt, v. g., cordis impulsionem debiliendo, temperando aëris proprietates, vel *specificè* agendo in respirationis organum, quod videntur facere multa balsamorum genera, et sulfurosæ aquæ, aut tandem obveniendi variis complicationibus illasque destruendo.

Nulla autem ex suprâ memoratis conditionibus per se valet spinam pulmonibus infixam evellere. Nulla igitur potest haberi ut remedium specificum contra pulmonaria tubercula. Sed an solis specificis morbi curari possunt? Plerique (quod humanitati faustum est) resistere etiam non possunt aliis methodis, modò iis sapienter utantur medici. Eâdem ratione curaretur phthisis, si probare possemus eam ab aliis morbis suâ naturâ non differe, id est, si demonstraremus naturam de eâ semper triumphare posse, cùm ejus conatus sapienter diriguntur. Quid est enim morbus nisi ens quoddam destructivum, quod in nostris organis agit, cuique vitales vires resistere conantur? Hæc vis tendere potest ad sui ipsius spontaneam destructionem. Tunc sufficit moderare vitalem reactionem, ne natura illi auxilietur, sibi ipsi nocens. Tam potens est aliquandò, ut principium quod nos conservat cogatur cùm illo gerere bellum plus minùsve grave; cujusque fortuna, ut nemo ignorat, maximè varia esse potest. In aliis casibus, ea est ejus natura, ut non timeat corporis ad conservationem conatus qui illum multum juvant ad destruendum organum in quo sedem habet. Quid agendum medico in his casibus? In primo, removet omnia quæ morbum possent juvare, organorum reactionem solli-

citat, excitat aut temperat, revulsiones producit, ut lapsu temporis mali causa destruat. In secundo casu, pugnam quàm diutis-imè producit; eam impedit, suspendit aliquandò, moderando noxios conatus quæ natura turbata facere potest, vel confirmando ejus potentiam, ut nulla alia sint morbo auxiliaria quàm ejus natura. In hâc hypothesi, medicus verè *minister naturæ* dici potest. Cùm nulla alia suppetunt arma, iis sanè utendum, earumque cognitio jam satis præclara est scientia.

At si quis prodiret cum armis alterius naturæ quibuscum directè aggredi et destruere illud ens possemus, an non iis utendum? Atqui hæc arma specialia, sunt *specificæ*. Illorum ope debellamus febres paludum effluviis productas, morbum syphiliticum curamus, scabiem propellimus, morbillis occurrimus. Rectà ad spinam tendunt.

Qui has negant propositiones, animadvertere deberent, in casibus vel maximè communibus, eorum therapeuticen, non causam ipsam, aggredi. In peripneumoniâ, v. g., sanguis mittitur, revulsiva applicantur, diluentia, purgantia excitantia, etc., administrantur pro casibus, et etiam pro doctrinâ quam quisque sequitur. Ad quam tunc metam tendimus? Organum debilitare cupimus, cavendo ne eò fluant humores, vel potiùs ejus vires augere, efficiendo ne eò confugiant fluida functiones turbatura, vel ejus actionem excitare quæ videtur esse debilior. At quæ causa est hujus perturbationis? Inflammatio. Quid vocatur inflammatio in organis? irritatio. Undè venit ipsa? à sanguine. Et sanguis à quo vocatur? à causâ quâlibet. Ita sanè est; at hæc ipsa causa cujus naturam non cognoscis, destruenda foret; quamquam incognita, diversissima tamen est; et, ad eam fronte aggrediendam, necessaria sunt specifica, quorum agendi modum pariter ignoras. Hæc est ontologia; fateor, at excusationem non quæro; imò existimo medicinam sine ontologiâ veros non posse facere progressus, quamvis hoc vocabulum eodem sensu hîc accipiam ac illi qui ontologistas vocant eos omnes qui aliter ac ipsi sentiunt. Attamen cùm dico morbum esse ens quoddam, non indè concludendum me arbitrari hoc ens esse intelligens, aut ens propriè dictum. Figurato enim sensu

sic morbum appello, quasi dicerem *causam, principium quoddam nocens*. Solus D. Broussais alium huic voci sensum tribuere potest.

Qui censent tubercula gigni inflammatione, nunquàm dubitarunt de curationis possibilitate, saltem in principiis. Illam autem probabiliter nunquàm obtinebunt, si pergant procedere per viam quò sunt ingressi. Illa enim vox *inflammatio* factum est obstaculum ad metam propositam assequendam. Vix pronunciata est, statim ad revulsiva et antiphlogistica recurrunt: quia, secundùm eos, fortiter agendum est, neglectis naturæ saluberrimis conatibus. Indè crises perpetuò turbantur, rarò illis favetur; leves morbi graviores efficiuntur; et eorum successus, qui sæpè non veri, sed speciosi sunt, videntur totidem firmissima doctrinæ fundamenta. Exempli gratiâ: homo quidam ventre laborat; applicantur hirudines; posterâ die, sanatus est; ergò ibi erat inflammatio. Mulier quædam dolores patitur in inguinibus vel hypogastro, eodem die quo peperit: applicantur hirudines: sanguinis grumi ex utero effunduntur; postero die, evasit dolor; ergò ibi erat inflammatio. Alia mulier acutioribus doloribus pungitur: iterùm præscribuntur hirudines; sed negligentia vel oblivione non perficitur quod jussum fuerat; per noctem grumi exeunt, et diluculo dolores evanuerunt. Etsi hirudines sanitatem procuravissent, an indè sequitur veram ibi extitisse inflammationem? A quo tempore remedii natura, quo morbus pellitur, ipsius morbi naturam indicat? Vaccinæ papula in suis principiis cauterisatur, visque inflammatoria comprimitur. Idem dici potest de variolosis pustulis, de furunculis, etc. Croupalis funesta membrana super unâ ex tonsillis nascitur: tangitur cum acido hydrochlorico, malumque comprimitur. Argenti nitras et salis spiritus suntne antiphlogistica remedia? facilis esset multiplicatio ejusmodi exemplorum. Non difficile esset etiam probare felices fructus qui ex hirudinibus percipiuntur non semper indicare inflammationis existentiam.

Etiam si probatum esset phthisim morbum esse inflammatorium, indè non sequeretur eum posse antiphlogisticis curari. Multùm enim

abest ut phlegmasiæ emollientia semper requirant. Medicus autem qui in his læsionibus remedio abstinet tantum quia inter excitantia numeratur, se ipse spoliat persæpè rebus ad sanationem utilissimis. Existimo hanc à priori ratiocinandi consuetudinem multum medicis nocuisse in animo multorum hominum. Vulgus enim, qui alio modo ratiocinatur ac medici, eos tantum habet doctos qui ægros sanant : atqui ignarus empiricus, impudensque circulator, qui parum curant, ad quam classem vel ordinem pertineant substantiæ quas præcibunt, qui ne dignantur quidem inquirere utrum morbus quem aggrediuntur sit naturâ suâ phlogisticus, asthenicus, nervosusve, etc. Sæpè sanant læsiones quas destruere non potuerat doctus medicus, qui tamen usus fuerat remediis omnibus scientiæ regulis consentaneis. Indè concludo ea adhibenda esse remedia quæ usu reperta sunt utilia, neglectis doctrinis. Si hæc cum successu non concordent, ipsæ errant.

Quoad affectionem tuberculosam, ex unâ parte probatum est eam non esse inflammationis terminationem; ex alterâ parte methodum antiphlogisticam non esse inflammationis essentielle remedium. Prætereâ probatum est etiam phthisim pulmonarem requirere curationem specialem : atqui antiphlogistica medicatio obliquè tantum agit in morbum ; ergo non sufficit ad cruda in pulmonibus tubercula sananda.

Cùm in Galliâ successus non secutus sit administrationem *murialis barytæ* à *Crawfort* prædicati ; cùm utilitas acetatis plumbi à *Kopp* laudati, non confirmata fuerit à *D. Fouquier*, nihil dicam de his substantiis, neque de acido prussico, quod administrârunt quidam galli medici, quia quæ narrantur de ejus utilitate, minimè probant hoc remedio unquàm sanatam esse phthisim. At mercurialia medicamenta majoris sunt utilitatis in Britannia-Magnâ, quàm ut ea præterire possim : indicabo præcipuè calomelam tam à *Rusch* laudatam, et nunc in multis Germaniæ regionibus usitatissimum.

Multi sanè his medicamentis mirum in modum abutuntur ; sed

puto , si diligentius eorum dotes perpenderentur , ea fore maximi momenti in arte sanandi.

Nullam fidem adhibeo universalibus panaceis. At mercurii præparationes tam miro modo organa humana afficiunt , ut impossibile non sit eas olim suppetituras remedia læsionibus usque ad hodiernam diem insanabilibus. Eodem modo non agit calomelas in phthisi ac specifica. Ex eo vidi salutares fructus perceptos in diarrhæis colliquativis , et in quibusdam certis intestinorum ulceribus. Sed his in casibus , sicut in multis aliis mucosarum membranarum affectionibus , in quibus eum credo utilissimum , ejus actio posset forsân comparari cum modo agendi topici cujusdam applicati in parte dolente , per analogiam concludens ex ejus applicatione in inflammatione adnatâ. Eodem modo explicantur salutares fructus quos ex ejus administratione percipiunt Angli et Americani in mucosis intestinorum phlegmasiis. Si administretur in phthisi , potest quidem intestinorum sanare phlegmasias , sicque ægrorum sortem meliorem reddere ; sed ejus actio non extenditur ad tubercula.

Attamen non hîc terminatur ejus actio. Evidenter alteratur in nostris organis , quorum mutat proprietates. Notabili modo agit in fluida quæ illum transvehunt per omnes corporis partes , illumque cum solidis fibrillis componunt : potest ergò rectâ ad malum pervenire , et multorum malorum fieri *specificum*. An etiam tuberculorum ? id non existimo. At si specifico phthisis remedio caremus , indè non sequitur illud non existere. Sententia contraria videtur probabilis. Quæramus illud ; nihil probat nostras investigationes vanas esse futuras.

Ex suprà dictis sequitur 1.º in præsentī scientiarum statu , medicos nullum adhuc certum ad sananda tubercula remedium proposuisse ; 2.º quandòquidem primaria eorum causa in fluidis existere videatur , probabile esse eos olim tam felices futuros , ut huic infensissimo hominibus morbo aliquid certi opponendum habeant ; 3.º colonum observationem de quâ locutus sum probare videri , ea solo naturæ

beneficio posse aliquandò sanari; denique factis eorumque explicationibus relatis à professore *Laennec*, qui tantoperè hoc doctrinæ punctum dilucidavit, demonstrari cruda tubercula quæ remollita erant, evanuisse, ægrosque sanatos fuisse.

Ergo possibilis crudorum in pulmonibus tuberculorum curatio.